



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Restitutio cui sit facienda.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41716**

*Quantitas est in materia restitutionis  
consideranda.*

**C** Aput ergo tertium, quantum est restituendum; constat oportere restitui æquale. Vt autem discernatur & perueniatur ad restituendum æquale, oportet distinguere de certa vel incerta quantitate rei seu damni. Si namque quantitas rei seu damni est certa, opus est vt tantundem restituatur quantum ablatum, seu in quanto damnificatus quis est. Si verò incerta est quantitas (vt contingit in damnis iniuriarum, percussionum, iurium pendentium, seminum lucri cessantis, & similibus) restituendum est tantum quantum vir bonus arbitrabitur, consideratis singularibus negotiis, temporis, loci, personarum, &c. Debet autem vir bonus arbitrari tantum quantum ad æquiualens exigitur si fieri potest: quod si fieri nequit, conetur appropinquare ad æquale quantum fieri potest.

*Restitutio cui fit facienda.*

**C** Aput quartum, cui restituendum est. Distingue de causa restitutionis, an sit acceptio iniusta, an solum res accepta. Nam si ex sola re aliena confurgit restitutio, reddenda est regulariter domino rei: & appellatione domini intellige illum cui debetur: siue perseuerauerit dominium apud eum, siue translatum sit, siue sit verus dominus, siue dispensator, vt Prælati Ecclesiasticus. Dixi autem regulariter: quia in aliquo casu (puta si Prælati est dilapidator rerum Ecclesiæ, & experientia teste dilapidabit etiam hæc) non ei, sed illi Ecclesiæ quæ est vera domina, restitutio in foro conscientiæ fieri potest & debet, conuertendo restituendas res in vtilitatem illius Ecclesiæ, habito (si fieri commodè potest) vt seruetur etiam omnis iustitiæ modus, consensu superioris. Simile autem est iudicium

iudicium in casibus in quibus domino rei fieri restitu-  
 tio non potest propter aliquod aliud accidens: puta  
 quia est omnino ignotus, debet enim restitui tunc  
 Christo qui est hæres vniuersorum. Si autem resti-  
 tutio consurgit ex acceptione iniusta, discernendum  
 est an acceptio illa iniusta fuerit ex datione prohibi-  
 ta (ita quòd non solum obligatus ad restituendum  
 accepit iniustè, sed etiam ille qui donauit, donatione  
 iniqua dedit) ita quòd ipsa datio fuerit mala: vt quum  
 datur pecunia pro corrumpendo iudice, vel ingressu  
 in monasterium, vel quocumque spiritali: & breuiter quan-  
 do ipsum dare est prohibitum: quia in huiusmodi ca-  
 sibus restitutio facienda est, sed non illi qui malè de-  
 dit, sed Ecclesiæ in cuius iniuriam datum est: & ea-  
 dem ratione homini in cuius iniuriam corruptus est  
 iudex, aut Christo hæredi vniuersorum. Si verò sola  
 interuenit acceptio iniusta, restitui debet damnifica-  
 tio ex illa acceptione iniusta. Ita quòd duæ conditio-  
 nes oportet quòd simul concurrant. Prima, quòd ille  
 damnus habeat: alioquin nulla esset restituendi ei-  
 dem ratio. Secunda, quòd damnus passus fuerit ex  
 illa acceptione iniusta: alioquin etiam si damnus  
 haberet, sed non illatum ex illa iniusta acceptione,  
 non esset illi ab hoc restitutio facienda: vt patet quum  
 quis furatus esset à mercatore aliquod pignus: tunc  
 enim licet damnus sit duorum: scilicet domini pigno-  
 ris, & mercatoris qui tenebat pignus: fur tamen vene-  
 tur restituere non domino, sed mercatori: quia actio  
 furti mercatorem damnificauit, qui tenetur domino  
 de pignore reddendo. Ita quòd in huiusmodi resti-  
 tutione, persona cui debet restitui, non ex domino  
 rei, sed ex damnificatione sibi illata discernitur & de-  
 finitur. Et ratio est, quia ipsius interest saltem custo-  
 dire, seu reddere rem illam domino, si non est sua. Et  
 hoc in tantum iura exigunt, vt etiam prædo in pos-  
 sessione

essione tuendus sit : quia præda etsi non est prædonis simpliciter , est tamen ipsius ad custodiendum vt reddatur domino : tenetur enim ipse reddere. Veruntamen quando sine scandalo potest publicè vel secretè res reddi domino sine alterius iniuria , damno vel periculo reali, hoc est quo ad rem, potest in foro cōscientiæ restitui domino, tanquàm exequendo ius naturale dormiente iure scripto : vt si restituenda sit ablata res aliena deposita apud suspectum depositarium: aut ablata à fure aut latrone , aut vsurario qui non creduntur vnquam restituri : potest restitui vero domino, cum illo salis grano quòd prouideatur ne iterato contingat fieri restitutionem si quandoq; venerint illi occupatores ad pœnitentiam.

Quacunque autem ex causa contingat restituere alicui mortuo, ignoto vel absenti seruandum hoc est quod mortuo succedit hæres : ignoto verò post exactam diligentiam ad cognoscendum succedit Christus: de quo scriptum est quod hæres est vniuersorum. Absenti autem si fideliter & facilè mitti potest, mitti debet, vel saltem significari vt disponat de tale sibi debita in tali loco, nisi fortè res tam parua sit & absentia tam à remotis, vt arbitrio boni viri censeatur ratum habendum à domino si sciret, quod deus Christo pro salute domini. Verùm quando res mittenda esset, non sine sumptibus debet mitti sumptibus eius qui iniustè accepit : quoniam ipse semper fuit in mora & in causa iniqua quod dominus rei non potuit vti re sua antequàm perueniretur ad hunc articulum necessitatis vt oporteat illi mitti.

*Restitutio vbi fieri debeat.*

**C**aput quintu, vbi restitutio est facienda. Discerne, si restitutio consurgit ex sola re aliena, restitutio